

בעזרת אל שדי:

DISPUTATIO THEOLOGICA
INAUGURALIS,

POSITIONES EXHIBENS BREVISSIMAS,

DE

LIBERO ARBITRIO;

QUAM MODERATORE DEO TRIUNO,
Consentiente Venerandâ Facultate Theologicâ,
SUB PRÆSIDIO

VIRI ADMODVM REVERENDI, AMPLISSIMI,
AC EXCELLENTISSIMI

DNI. PETRI HABERKORNII,

S.S. Theolog. Doctoris ac Professoris Primarii,
Pastoris item & Superintendentis meritissimi, Fautoris
ac Præceptoris honoratissimi &c,

PRO

*Summis in Theologiâ honoribus & privilegiis
DOCTORALIBUS ritè & solenniter
impetrandis,*

Ad diem X. Februarii in Auditorio ICTORUM defendet,

M. HEINRICUS BRUMMERUS
HAMBURGENSIS,

Superintendens Regius in Borussia; Serenissimo ac Celsissimo
Principi ac Domino, DN. ADOLPHO JOHANNI, S. Reg. Maj.
Svecicæ Fratri unico &c, à Sacris.

OS (*) SO



GIESSÆ HASSORVM,

Typis CASPARI VULPII, Anno M. DC. LIX.

Coll. diss. A
174, 5

174. A. 174 (5.)


~~EX. H.~~

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
DRESDEN

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
DRESDEN



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
DRESDEN



I. N. D. N. J. C.

ANTEFATIO.



Notissimum ac verissimum est illud D. Augustin. Tract. 97. in Evang. Ioh. effatum: Nefarios Doctores ipsa occultatione condire quodammodo sua venena curiosis, ut ideò se existiment aliquid dicere magnum, quia merentur habere secretum, & suaviùs hauriant in-

sipientiam, quam putant scientiam. Exempla, quæ numero penè innumera in Historia Ecclesiastica suppetunt, non hic lubet accumulare; In rem presentem eamus tantummodo, simulq; inquiramus, quàm tortuosè processerint olim, & adhuc dum procedant in hoc augustissimo de Libertate Arbitrii Articulo lucifugæ bestiæ (Tertulliani hæc est phrasis de pestifera hereticorum fraudulentia) Gratia (sicut prisca ævi Patribus dicuntur) calumniatores, inimici & adversarii Pelagiani antiqui, hodiequæ Pelagianismi in Ecclesia Pontificia interpolatores novi. De illis audiatur D. August. lib. de gratia Christi contra Pelagium & Celestium cap. 37. Verba ejus sic habent: Mihi penè persuaserat (Pelagius) hanc illum gratiam, de quâ quæstio est, confiteri, quamvis in multis eius opusculi locis sibi ipsi contradicere videatur; Sed cum in manus meas & alia venissent, quæ poste-

A

rius

rius latiusq; conscripsit, vidi, quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub antiqua generalitate, quid sentiret, abscondens, gratiæ tamen vocabulò frangens invidiam, offensionemque declinans. *De novis Pelagianismi interpolatoribus Pontificiis, qui mutato tantum habitu eandem omnino Helenam in scenam producunt, prolixè id ostendi è Concil. Tridentino posset, nisi jam antè idem prestitissent summi ex nostratibus acuminis viri: unicum solummodò audiamus, quod extat in sextæ Sessionis Can. quinto. Ille autè sic definit: Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Sathana invecum in Ecclesiam, anathema sit. Anathema h. l. audis denunciari illis omnibus, qui liberum hominis arbitrium post primi Legirupæ peccatum amissum & extinctum pronuncia verit: Nec dubium est quin Protestantes feriat hoc brutum fulmen Concilii. Vide autem, quæso, quàm ad exemplum Pelagii etiam sub antiqua generalitate lib. arbitrii, quid reverà sentiant, abscondere velint arguti Conciliabuli hujus Patres, nimirum ut commodè sic frangerent invidiam, offensionemque declinarent. Etenim quoties in Theologorum scholis disputatur de libertate Arbitrii, toties quàm accuratissimè distinguenda veniunt disputationes illæ, quæ agunt de ipsa mentis & voluntatis substantiâ, & voluntatis qualicunq; libertate in externis, civilibus & vitiosis aëtionibus, de viribus itidem lib. arbitrii supernaturalibus in hominibus Renatis, etiam quoad objecta spiritalia &c, ab illà questione, quæ est de viribus Lib. Arbitrii in irrogenitis ad res spiritalia, & ad superius hæmispherium pertinentes. Tantum enim abest, illas ut in hominibus non renatis per lapsum Adæ penitus credamus extinctas, ut potius contra disertè profiteamur, ipsam mentis & volunta-*

lunta-

luntatis substantiam, libertatem quoque ejus in externis, civilibus, vitiosisq; actionibus, certis tamē circumscriptam limitibus, nobis remansisse; Agnoscimus etiam in hominibus regeneratis ejusmodi Arbitrii & voluntatis vires, quæ se se extendunt ad res divinas & spirituales. Hæc nostra orthodoxa, divinisque elogiis omni ex parte consona mens & sententia à Concilio ejusdemque juratis sociis generalitate quādā ambiguā involvitur, nostrisque per manifestam calumniam perperam affingitur, ac si omnem prorsus libertatem, adeò dilucidè à nobis assertam ac constantissimè contra quosvis veritatis hostes defensatam, tolleremus, cum ipsa simul mentis voluntatisque substantia, quippe, cum in hisce nunquam ulla nobis cum Papæ intercessit controversia. Proinde haut immeritò egregiè criminari dicimus purpuratum illum, Papæ ejusdemque dogmatum effrontem Promachum Rob. Bellarminum quando in præfat. lib. de Gratia & Lib. arb. inquit: Protestantes Arbitrii libertatem nobis omnibus suis sententiis detraxerunt, seque ipsi non beluarum similes, sed beluas rationis planè expertes profiteri non dubitarunt. Sed hoc artificio ad declinandam offensionem & frangendam invidiam omnino fuit opus, quæ ipsis certò certius fuisset expectanda, si statu controversiæ legitimè positò, nostra de viribus humanis earundemque plenariâ extinctione in non regenitis quoad objecta spiritualia, sententia fuisset Anthemate percussa.

Premissis itaque illis, quæ forte an non parùm nobilissimam hanc cōtroversiam illustrare, ac lucifugas Papatus assecclas eò magis cōvincere poterūt, omnino necessum videbitur ipsi nos statim operi accingere, quod procul dubio omniū commodissimè fiet, si pro recepto in scholis Theologorum more assertâ ac stabilitâ prius ex sacratissimis divinorum elogiorum fontibus orthodoxiâ, Adversariis postmodum nostris, Pontificiis scil, qui potissimum Ecclesiæ

Dei in hoc articulo post Pelagianos facessunt negotium, piè ac modestè obvietur, ita, ut insimul eorundem *Φλυαρίαις*, *ἐπεροδοξίαις*, criminationibus itidem ac calumniis, quibus nostram Ecclesiam, ejusdemq; Doctores orthodoxos impiè onerant, & absque ullo rubore traducunt, solidè respondeatur. Sequitur E.

THESIS I.

UT ut autem aliàs cumulentur in scholis in augustissimo hoc Articulo quæstiones, quarum tamen aliæ præ aliis scitu creditû que magis sunt necessariae, prout in ipsa *ἐξηγήσει* liquabit, omnes tamen ad tres classes commodè referri poterunt, quarum prima *Existentiam*, secunda *quidditatem*, tertia *qualitatem* Lib. Arbitrii exprimit. Cùm verò nostra *ὀρθοδοξία* prorsus ignoret in homine, puta in peccatû prolapso & irrogenitò, ejusmodi vires, quidditatem arbitrii propriè constituentes, quæ spirituale aliquod opus vel inchoate, vel efficere, multò minus perficere possint, proinde *primæ Classis quæstiones* Philosophico potiùs stylo ac methodo, quàm Theologicâ, enodandæ, id quod præter alios, puta Dn. D. Gerhard. in disput. Isagg. in Loc. de Lib. Arb., dudum jam consummatissimus Theologus D. Meisnerus p. m. in part. 2. & 3. Phil. sob. ut & in sua Anthropol. sac. Decad. 3. disp. 21. & seq. fusè ac solidè satis expedit, ita, ut apicem saltem illis insuper addere, esset post Homerum Iliada conscribere. Quantum itaque Lib. hominis arbitrium, d. m. consideratum, attinet, pauca tantummodò, præcognitorum instar, delibabimus, quæ rem ipsam non tam probabunt, quàm illustrabunt.

TH. II.

Primâ autem fronte discutienda erit *ὀνοματολογία τῆς Lib. Arbitrii*, quæ vox, si literam spectes, *ἀγγεφφ* equidem est, nec junctim ullibi exprimitur, Chamier in Panstr. Cont. l. 2. c. 8. §. 4; Si materiam & sensum autem, omnino *ἐγγεφφ*, velut videre est apud prælaudatû Dn. Meisn. in Anthropol. sac. Decad. 3. disp. 21. B. Chemn. in LL. CC. in Art. de Viribus humanis p. 180. Commigravit autem hæc vox teste Philippo Melancht. in Hypotyposibus Theolog. citan-

citante B. Meisnero in part. 2. Phil. sob. p. m. 199. ex Schola Platonica
 in Ecclesiam per Patres, ante conversionem suam in eadem enutri-
 tos, quibus cōtra insulsam, imò insanam *Stoicorum necessitatem*, quam
 fatalem omnium actionum frivole adseriebant, *liberam hominis volun-*
tem circa res inferioris hæmispherii masculè & verè propugnabant,
 quamvis demum sub seculo quinto eodem vocabulo pessimè abu-
 sus Hæresiarcha Pelagius, dubium tamen, an ipsi imposuerint ante-
 riorum ævorum Patres, nimis augustè vires arbitrii, ante exortum
 tamen Pelagii certamen, deprædicantes? an verò principia Plato-
 nicorum, quibus fortean, esse sic post tristi experienciâ, plus, quàm
 omnino par fuit, relicto etiam Codice sacro, adhæsit. Doctè insu-
 per nostri observant Theosophi, Græcos Patres in denominatio-
 ne & descriptione hujus rei vocabulis arrogantioribus, ac, si li-
 teram spectes, non usque adeò commodis, aut quæ *σύμφωνα τῆς*
γενεφᾶς (velut Irenæus de Traditionibus sui ævi loquitur,) usos fuisse,
 appellando nimirum id ipsum *ἄυτεξέσιον*, *ἄυτεξέσιαν*, *ἄυτεσιότητα*,
 (reliqua, quæ longo ordinè numerat & ponderat B. Chemn. in LL.
 part. 1. p. 180., lubens prætermitto,) quæ, si illa secundùm nativam
 indolem, genuinumque significatum excusseris, immensam certè,
 adeoque talem misero homuncionum gregi transcriptam liberta-
 tem deprehendes, quæ divinam illam, & SS. Trinitati unicè com-
 petentem ab omni parte exæquet. B. Meisnerus part. 2. Phil. sob.
 p. 204. Piè equidem pro memoratorum Patrum exculpatione præ-
 tenditur, ipsos ante exortum Pelagianismum gloriosius de ἀκμῆ &
 præcellentiâ vitium ea propter disseruisse, ne homines naturâ desi-
 des, & spiritualia non anxie sed olcitanter appetentes penitus
 torpescerent, imò in apertissimum contumaciæ, cœlestium con-
 temtus, ac extremæ & præposteræ securitatis barathrum præcipi-
 tes ruerent. Ast magis piè & Christianè B. Chemn. in LL. CC. part.
 1. p. 198. b. decantatissimam ipsius Apostoli sententiam ex Rom.
 cap. 3. v. 8. urget, quâ omnibus interdicitur *peractio mali ob eventum*
boni. Confer D. Gissenii Papismum de appellat. Lib. Arb. p. 827. 828.

TH. III.

Quàm diversimodè verò τὸ *Lib. Arbitrium* apud Authores ac-
 cipiatur, ex eorundem inspectione fusiùs liquebit. Vide B. Chemn.
 in Exam. Conc. Trid. Edit. in Fol. p. 114. A. D. Gerhard. in Dispp.

Magg. p. 947. B. Meisnerū in Phil. sob. part. 2. p. 296. & seqq. D. Giffenii Papismum p. 827. 828. D. Cundisii Notas in Hutterum p. 632. Imprimis verò B. Meisnerus in Anthrop. S. quinque potissimum acceptiones, in Patrum & Theologorum scriptis passim occurrentes, notat, quas postea in compendium redigit, adjectis nonnullis distinctionibus accuratioribus, prout legere est in lib. cit. Decad. 3. disp. 21. p. 5.

TH. IV.

Cæterum ne in primo, ut ajunt, limine statim aberremus, disquirendum prius erit *de Existentiâ lib. Arbitri: An nimirum illud detur in homine?* Negativam strenuè tuetur Laur. Valla; Bella mino teste in Tom. 4. lib. 3. de gratia & Lib. Arb. c. 15. quem propterea acriter perstringit ex Ignatii Socii Tannerus, (verba ejus citat Dn. D. Botfaccus in suis contradic. Pontif. p. m. 526.) & ex nostris D. Mylius in Aug. Conf. fol. 245. b. Eandem sententiam, sed non nisi per manifestam calumniam, B. Luthero ejusdemque parastatis in genere affigunt Papæi, ac si in totum negent. Hos inter agmen ducunt Rob. Bellarminus & Lessius, uterque impurissimi oris luita. Ille Tom. 4. præfat. super 3. Controv. gener. p. m. 506. 507. Hic in consultatione sua p. 25. Verùm criminationes & somnia illa, quæ maleferiati hi tenebriones nostræ Ecclesiæ temerè inurunt, satis diluent & confutabunt clarissima Augustanæ Confessionis verba, quæ Artic. 18. sic habent: *De Libero Arbitrio docent (Protestantes) quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & diligendas res rationi subjectas, sed non habet vim sine Sp. S. efficiendæ iustitiæ Dei.* Et paulò post: *Quanquam externa opera natura efficere aliquo modo potest, potest enim continere manus à furto, à cade; tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam &c.* Huic sententiæ calculum suum adjiciunt cum Imperatore Carolo V. Johan. à Daventria, Johan. Cochlæus, Johan. Hoffmeisterus, & Georgius Cassander, quorum verba ἐμφατικῶτα refert B. Mentzerus in Exeges. A. C. p. m. 757. & seqq. Uberiorem etiam declaratæ sententiæ explicationem exhibet Apologia Aug. Conf. p. 217. ut & Form. Concord. Artic. secundo. Fallaciam itaque hic necestant Sophistæ Jesuitæ, quæ vulgò à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter appellari consuevit: Hoc enim facile damus, quòd nege-

negemus talem Arbitrii libertatem, quam sibi extra Script. div. fingunt & pingunt Pontificii Dd. quæ etiam in homine irrogenito se se extendat ad objecta spiritualia &c. Contrà autem amplectimur quàm libentissimè ejusmodi virium humanatum libertatem, quæ in homine, in statu peccati nudè considerato, commodè & congruè extendi & applicari possit rebus externis, politicis, & sub inferiore Hæmispherio contentis; Quamvis nec in his hominis vires omnino liberæ propter adhærentem ἀταξίαν pronunciandæ, sicut rectè sentit D. Mylius in Aug. Conf. fol. m. 246. b. confer Tom. V. Marpurg. disp. 22. p. 334. D. Gerh. Dispp. Itagg. p. 953. 954. D. Meisneri Phil. sob. part. 3. p. m. 6. & seqq. ubi prolixius aliquantò indigitatur, quo in sensu negent, & contrà admittant orthodoxi Arbitrii libertatem, adversariorumque criminationibus solidissimè non absque turpi in ipsis Cardinalis Bellarmini verbis notatâ contradictione, respondent.

TH. V.

Observatu autem dignissimum est, Thaumasiandrum nostrum, ubi vidit, loquutionem hanc *Lib. Arbitrium esse titulum absque re, & rem de solo titulo*; (Quam Lutheri sententiam Erasmus *durissimam* appellat. B. Luth. in Tract. de S. A. fol. 188. a. & Conc. Trid. propterea Anathemate damnat, uti in Præfatione indigitatum) &c, indefinitè à nonnullis accipi, adeoque extendi ad res civiles, & externæ pædagogicæ subjectas, ac si omnem homini in illis denegaret libertatem; Optimè postmodum se se explicuisse in Visit. Saxon. & in Tractatu suo de Servo Arbitrio fol. 178. A. disertè adstruens: *Vocabulum Lib. arbitrii in Ecclesia admitti posse, si de libertate illâ in civilibus & externis accipiatur.* Interim tamen diligenter inculcat necessariam distinctionem inter opera legis externa & interna, quæ etiam à Protestantibus ea propter ipsi Aug. Confessionem expressis inserta verbis; Id quod reverâ Pontificios pessimè habuit, non poterat enim absq; crimine falsi B. Lutherum ejusdemque discipulos ampliùs traducere, ac si omnino negent Lib. Arbitrium, cum illud in his admittant, nec poterant etiam ulterius commodè satis partes Pelagii sub hoc pallio tueri, eandemque hæresin ita apertè Ecclesiæ Christi obtrudere; Sicut doctè observavit summus post B. Lutherum ex nostratibus Theologus B. Chemnit. in LL. part. 1. p. 184. a. Dicimus itaque

Itaque B. Lutherum & etiamnum genuinos eius discipulos, qui
 Unius in Christi jurârunt verba Magistri,
 non absolutè, sed limitatè Arbitrii libertatè & negare, & admittere:
 Negât, & vocem hanc extra Ecclesiæ pomæria relegant, (1.) Quan-
 do voluntati humanæ non renatæ tribuitur quædâ *independentia à di-
 vino regimine, quæ quasi sui juris est neminiq; subjecta;* (2.) Quando viribus
 humanis antè regenerationem adscribitur *quædam facultas prima con-
 versionis, Spirituiq; sancto in eadem cooperans,* quem errorem Scholastici
 sub hoc nomine fovent. D. Meisner. Part. 2. Phil. lob. p. m. 298. 299.
 Admittunt contrâ, hoc vocabulum (α) quando pro ipsa hominis
 voluntate, (β) pro libertate à coactione, (γ) pro aptitudine ac
 facultate quâdam ad efficiendas res externas & civiles accipitur.
 Meisn. p. 3. Phil. lob. p. 7. 12. Conferatur etiam D. Gerh. in dispp.
 Isagg. p. 944.

TH. VI.

Enodatâ igitur quæstione, *An sit?* proximum est, ut evolvamur
 porrò Lib. Arbitrii *ἡσία*, *quid nimirum illud sit?* Quæ consideratio,
 licet sit Scholastica magis ac Philolophica, quàm Theologica, uti
 ipse Dn. D. Meisnerus loquitur Decad. 3. Anthrop. Disp. 21. p. 12. &
 15. quippe, cum Theologi magis investigent *quid possit illud, quàm quid
 sit,* non tamen omnino etiam negligenda est, partim, ne ignoretur,
 quid scil. propriè illud sit, de quo fit sermo, partim etiam, quia in
 controversiis Theologicis non omnino negligendus genericæ
 hujus considerationis usus est, fatente id etiam Bellarm. lib. 3. de
 gratia & lib. Arb. c. 7. §. 1.

TH. VII.

Discutienda hîc autem erit ipsa *ἡσία* seu Essentia cum Defini-
 tione, quæ à Logicis essentialis vocatur, & differt à causali, quæ de-
 scriptio potiùs quàm vera definitio nuncupanda; Proinde in veram
 & adæquatam \S Lib. Arbitrii Definitionem inquiramus necesse est.
 Rob. Bellarminus lib. 3. de gratia & L. A. c. 3. aliquot definitiones
 Patrum v. g. Clementis, Augustini, Bernhardi, Anselmi & Senten-
 tiarum Magistri Petri Lombardi recenset, de quibus Jesuita pro-
 nuntiat, quòd nimis longum foret, minimèque necessarium, eas
 omnes defendere vel explicare: Nos quoque arbitramur, illas, si
 vel maximè strictum subirent examen, de errore multum, de in-
 commo-

commodo plurimum participare. Imò nec ipsa Bellarmini definitio nobis satisfacit, præprimis si cum eadem accuratè conferas uberiorem illam, quam in sequentia capita non absque legentis nausea suppeditant, explanationem, quamvis ipsi Authori, ceu imperfectis illis si non perfectior, tamen Logicorum Regulis aliquantò conformior, complaceat. Nos substituimus illam, quæ nostratibus Theologis passim præbatur, definitionem: *Liberum arbitrium est facultas voluntatis, sponte suâ & liberè objectum vel eligendi, vel respuendi ac averfandi.* Obiter etiam hoc notandum venit loco, B. Lutherum, quando in Tract. de Serv. Arb. autoritate D. Augustini & Commentar. Damasceni l. 2. de fide orthodoxâ, cap. 22. suffultus, teste Aretio in Problem. p. 87. hominis arbitrium ante lapsum per *vertibilitatem* definit, eo ipso voluisse significare, nequaquam existimandum esse, Protoplastis nostris majorem, quàm ipsi Deo tribuendam ante statum peccati libertatem exinde, quòd illorum voluntas indifferens ad bonum & ad malum, Dei contrà determinata fuerit ad unum, bonum scil. Etenim indeterminatio illa, in statu integritatis homini concreata, non arguebat summam & omnibus numeris absolutam libertatem, sed potiùs flexibilitatem & ambiguitatem, constantiæ oppositam. B. Meisn. part. 3. Phil. Sob. p. 4. & 63. Dn. D. Gerh. Dispp. Magg. p. 968.

TH. VIII.

Cæterùm cum nostri instituti non sit, fusiùs omnia indagare, sed pro more Venerandæ Facultatis Theologicæ omnia Thesisibus quàm brevissimis comprehendere, otiosa & curiosa illa, quæ Doctores Scholastici, & ex his Bellarminus l. 3. de Gratia & L. A. capp. 7. 8. 9. 10. inutiliter, imò extra orbitam disputant, prorsus hîc negligemus, & contrà sub incudem revocabimus, quæ acumine Theologico digniora judicant cordatiores ex Theosophis. Hæc inter optimè meretur numerari illa, quæ de virium humanarum libertate omnimodâ ac omni ex parte perfectâ, moveri solet quæstio, quâ scil. quæritur: *An ad libertatem Arbitrii talis pertineat facultas, quæ se se extendat ad omniû rerum, quæ cupi ac institui possunt, efficientiam?* Hieron. Zanchius part. 3. de operibus Dei inter spatium sex dierum creatis lib. 3. cap. 3. p. 885. nonnullis hanc sententiam tribuit, quos meritò confutat: Istiusmodi enim facultas neutiquam cadit in

B

ullam

ullam creaturam nudam, nec Angelicam quidem, sed illa tantum Deo Triuni competit, *apud quem non est impossibile omne verbum*, Luc. i. vers. 37. Num igitur omnes hæ Creaturæ tum Angelicæ cum humanæ spoliandæ libertate Arbitrii? Ita equidem somniarunt nonnulli, quorum sententiam explicat Zanchius d. l. Sed absurdè & fœdè. Multipliciter enim absurdi & à cœlestis viâ veritatis remotissimi sunt, enormissimè peccantes tum in Deum, qui est unicus lib. arbitrii in hominibus æquè ac Angelis Author. Vide Tom. 5. Marpurg. disp. 22. p. 330. tum in naturam Angelicam & humanam, quam furiosi hi & amentes belluæ, *optimo & omnium, quæ in homine sunt, præstantissimo dono*, sicut Gregorius Nyssenus loquitur, privant, Melior certè & sanior est sententia Augustini, è diametro cum priore pugnans, ac subinde evertens eam, quæ legitur in ejus lib. de gratia & Lib. Arb. cap. 2. Verba sic habent: *Est igitur Lib. Arbitrium, (intellige in creaturis rationalibus) quod quisquis esse negaverit, Catholicus non est.*

TH. IX.

Porro de Libertate quæritur, *quænam scil. omni lib. Arbitrio genericè considerato, sit essentialis?* Illam autem dicimus esse Libertatem à necessitate physicâ & coactione, quam nonnulli etiam *necessitatem physicam internam* vocant, diciturque ea, quâ quid *ἀναγκαστικὸς* determinatur nudò naturæ instinctu, vel etiam ex ordinatione divi-
nâ, necessariò agendum, quali necessitate physicâ internâ bruta determinantur ad pabulum, somnium &c, captandum. *Necessitas coactionis* est, quâ natura etiâ rationalis ab externo quopiam agente per motum quendam extrinsecum præter vel contra voluntatem foris determinatur vel potius impellitur ad aliquid; Cujusmodi necessitatem experiuntur malefici, & atrocis alicujus facinoris rei, quando contra voluntatem à lictoribus & lorariis ad domum captivitatis, vel etiam ad locum supplicii inviti trahuntur. Utramque hanc necessitatis speciem repugnare omninò libertati arbitrii, ita, ut subjecta, quæ in actionibus suis non sunt libera ab hisce necessitatis speciebus, sed quæ potius determinantur ab alterutrâ illarum ad unum necessariò agendum, neutiquam in actionibus suis pronuntianda sicut libera, licet interea homo ipse, qui ita per actus foris imperatos cogitur, non propterea spoliatur arbitrii libertate, quippe cum.

cum cæteræ ejus actiones, ex lib. arbitrio resultantes, omninò liberæ dicendæ sint.

TH. X.

Ex his etiam satis superque liquet, libertatem arbitrii nullo modo competere brutis: Genuinum enim & adæquatum Arbitrii subjectum, in hæsiōnis puta, à Theologis & sanioribus Philosophis statuitur natura intelligens, quæ de brutis uon nisi negativè prædicatur: Dn. Gerh. in Dilp. Isaag. p. 959. 960. B. Meisnerus in Phil. sob. part. 3. p. 66. 69. & seqq. D. Cundil. Not. ad Hutt. p. 640. Quamvis enim bestia liberæ sint à coactione, non tamen omninò liberæ sunt à necessitate physicâ & internâ, quæ libertatis etiam species in arbitrio, genericè considerato, essentialis est, prout superius probatum dedimus. Et hæc in gratiam purpurati Patris Rob. Bellarmini fuêrunt prolata, nobis perperam affingentis, ac si hæc nostræ esset hypothesis: Ad formam lib. Arbitrii sufficere libertatem à coactione, non vero à necessitate, de quâ paulò post expressiùs dicetur; Illud indeque deducentis absurdi, lib. nempe arbitrium etiam in bruta ἀλογα cadere. Vide ejus Tom. 4. lib. 3. de gratia & Lib. Arb. cap. 5. §. Primum enim &c. Cùm tamen vix ac ne vix quidem semetipsum ab hac liberet culpâ, quando brutis tribuit *naturale iudicium*, quod tamen rectiùs vocasset *naturalem instinctum*. Bruta enim non ex ratione, quâ prorsus destituuntur, sed ex *appetitione naturali* agunt, secundùm quam feruntur in objecta, seu jucunda, seu molesta, non liberè, sed spontè, quia naturaliter; Benè hoc notante B. Gerh. l. cit.

TH. XI.

Quamvis autem ad libertatem Arbitrii, ut diximus, necessariò requiratur, ut soluta ea sit à necessitate physicâ, internâ, ut & à coactione, non tamen propterea statim requiritur, ut eadem etiam ab omni prorsus necessitate sit aliena. Bellarminus quidem Tom. 4. lib. 3. de Gratia & Lib. Arb. cap. 4. & 5. disputat, Libertatem à necessitate omninò requiri ad liberum Arbitrium, & ex Lombardo adducit, liberum Arb. requirere indifferentem potestatem ad utrumque oppositorum, (quæ etiam aliquando fuit opinio D. Justini, teste B. Chemnit. in Loc. part. 1. p. 209. b.) Hinc collegit D. Joh. Crocius part. 2. Anti-Becani sui, controversi, 15. p. 686. mentem & senten-

ratam ejus hanc esse, quòd Arbitrium liberum omninò solutum sit ab omni necessitate. Moguntini autem in suis Animadversionibus in Anti-Becan. Crocii p. 389. hæc inter calumnias & imposturas Authoris referunt. Nobis equidem non est animus, D. Crocii partes adversus Moguntinos tueri, quippe cùm ipsemet satis se vindicaverit in Tom. 2. Justar. Vindic. p. 631. 632. 633. &c. Si tamen pro veritate, quid sentiamus, liberè & absque ullo partium studio, pronuntiandum, existimamus, Cardinalem Bellarminum, quamvis alibi quasdam necessitatis species cum libertate stare posse fateatur: vide ejus lib. 3. de Gratia & L. A. cap. 3. 6. 8. &c., tamen cap. 4. & 5. cit. lib. ita disputare, ut 1. non sine causâ quis suspicari possit, eum omnem omninò necessitatem à lib. Arbit. tollere: 2. Eum ex Lombardo aliisque formalem lib. Arbit. rationem in hoc collocare, ut homo absque ullâ determinatione ad unum liberam habeat, adeoque indifferentem potestatem ad utrumlibet oppositorum, quæ ceu erronea meritò rejicimus cū B. nostro Gerhardo in dispp. Itagg. p. 961. 962. ubi simul suffragantem nostræ sententiæ D. Bernhardum citat. Confer B. Meisneri Anthropol. S. decad. 3. disp. 21. quæst. 8. D. Crocium ll. cc. Et contrà statuimus disertè, rationem formalem lib. Arbitrii, neque consistere in indifferentiâ hominis ad utrumque oppositorum, neque in hoc, quòd homo coactè malum agat, sed potiùs in eo, quòd idem malum supposito lapsu, necessariò quidem, tamen liberè agat; Id quod peculiari Disputatione in Academiâ Jenensî habita doctissimè evicit Dn. D. Johan. Musæus, Præceptor quondam meus fidelissimus, ad quem brevitatis studio avidum lectorem remittimus. Videatur quoque D. Gissenii Papism. p. 834. D. Gerh. in dispp. cit. p. 975. D. Meisn. Phil. sob. part. 3. lect. 1. Cap. 7.

TH. XII.

Absolutis igitur illis etiam, quæ ad quidditatem Lib. Arbitrii facere videntur, dispiciendum porrò, quid valeant vires hominis naturales, & quid ferre recusent; Etenim cardo tam ardui Articuli non tam in hoc versatur, quid scil. sit, quàm quid possit voluntas humana, sibi absque gratiâ relicta, in objectis spiritualibus, momente sic B. Meisn. in phil. sobr. part. 3. p. 20. 21. Posthabitis autem iis, quæ à curiosâ Scholasticorum Papæorumque Pelagianizantium turbâ hîc otiosè, quàm piè potiùs disputantur, genuinum quæ-

stionis

tionis statum prius apponamus necesse est, ne illorum more extra oleas divagemur, aut aptemus quadrata rotundis.

TH. XIII.

Docent autem omnes & singuli *ἡρώως* Lutherani prælucente sic sacro Codice, & secundum receptos in Ecclesiâ nostrâ libros symbolicos, *Hominem non Renatum per proprias ac insitas arbitrii seu voluntatis vires absque gratiâ Spiritus S. non posse inchoare, nedum perficere opus spiritualiter bonû.* Pontificii contra quid statuant, perspicuum equidem est ex Concil. Trident. Session. 6. can. 6. c. 2. 3. 4. & 5; Magis autem illorum sententia redditur perspicua ex Andradii enucleatione, quam, ut præcipua istius Conciliabuli pars secundum testimonium B. Chemnii in Exam. G. T. p. 214. Edit. in 8vâ, ingenuè pandit, inquit: *Liberum arbitrium sine inspiratione & auxilio Spiritus S. non potest sanè efficere actiones spirituales; sed illud non idèd fit, quasi mens & voluntas, qualis est in homine à primâ nativitate, ante conversionem prorsus non habeat ullam potentiam, ullas vires aut facultates, quæ ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales necessaria sunt, sed idèd, quia naturales illa vires & facultates, licet non deletæ, nec extinctæ, adèd tamen peccatorum laqueis implicatæ sint, ut homo non possit se propriâ virtute extricare.* Hactenus ille.

TH. XIV.

Hæc à Magistro suo Pelagio didicerunt Papæ Promachi, qui arbitrii vires tam in incipiendis, quàm perficiendis operibus spiritualibus in tantum extulit, ut gratiæ divinæ vix quicquam reliquum faceret, quapropter etiam *insensissimus gratiæ hostis* à plerisque Patribus orthodoxis salutatur. Augustin. ad Quod vult Deum c. 88. Hunc etiam Authorem sequuti Sententiarum ac Scholastici Dd. ad unum ferè omnes, qui adèd gloriosè & arroganter, dejectâ prorsus de throno suo gratiâ divinâ, humanas de prædicabant vires, ut ipse etiam Bellarm. lib. 5, de Gratia & L. A. insignis aliàs illorum Apologeta, ipsis dicam scribere, vi veritatis divinæ convictus, necesse habuerit, inquit: *Illos fortasse liberiùs, quàm par fuit, de Lib. Arbitrio disputasse.* Sed remittimus purpuratum hunc ad illud Socraticum, *ἡρώως σεαυτὸν*, quippe, cùm ipsum ejusdem criminis cum suis Magistris convincant reum verba illa, quæ extant in lib. ejus sexto de Gratia & Lib. A. cap. 15. §. Prima sententia *Homo ante omnem gratiam non solum habet liberum Arbitrium ad opera naturalia & moralia, sed*

etiam ad opera pietatis & supernaturalia. Idem cum socio suo cornu in-
stant Jesuitæ, imprimis Colterus, Salmeron, aliique. Vide Giffens.
Tom. 2. disp. 15. Christoph. Pelargum in Novo Jesuitismo loc. 8.
fol. 35. b.

TH. XV.

Cùm autem tota vis doctrinæ de captivitate & servitute arbitrii
humani in testimoniis Script. S. sita est, velut bene docet B. Chemn.
in LL. part. 1. p. 190. a., adducenda omninò erūt τὰ ἐμφανώτερα, quæ
thesin nostram muniant; Illa autem tres quasi Classes constituunt;
Primam ingrediuntur illa, quæ mentem seu intellectum humanum
in statu Apostasiæ & peccati consideratum, planè cœcum, imò nul-
lum in rebus divinis ostendunt. 1. Cor. 2. vers. 14. *Animalis homo non
percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, nec potest intelligere.* Hoc dictum præcipuum
causa nostra testimonium appellat B. Chemn. d. l. b., simulque nugis
Embslerianis respondet, qui τὸ ψυχικόν ad inferiorem animæ par-
tem, quam homo cum brutis communem habet, extendit. Confer
B. Meiss. Anthrop. S. Decad. 3. disp. 22. p. 82. D. Gerh. in Tom. 2. LL.
de Lib. Arb. item Tom. 9. de Vit. Æt. Rom. 8. vers. 7. *Φρόνημα τῆς
σαρκὸς est inimicitia adversus Deum;* Ubi etiam probè observanda Re-
gula Theologica, quam B. noster Lutherus in Tract. suo de Servo
Arbit. diligenter inculcat: *Id observabis, inquit, in Script. S. quòd quoties
de carne agitur, per Antithesin ad spiritum, ibi ferè intelligas per carnem omnia
cōtraria Spiritus; Vbi verò absolutè tractatur, ibi cōditionem naturamq̄, corpo-
ralem significare scias.* Confer Gen. 6. v. 5. 2. Cor. 3. v. 5. Imò & ipse etiā
intellectus frequentissimè tenebris confertur, Ephes. 5. v. 6. Joh. 1. v. 5.
Act. 16. vers. 18. Luc. 1. v. 79. Ephes. 4. vers. 18. 19. Hinc teriò hor-
tatur Apostolus, ut *captivemus omnem rationem & cogitationem (πάντων νόη-
μα)* in obedientiam Christi, 2. Cor. 10. vers. 5. De hoc loco prolixius
D. Nicol. Hunnius in Exam. Errorum Phot. p. 69. & seqq. Gerhard.
in Exeg. l. 1. th. 472. M. Zæemannus in Theolog. & Scholastic. Tra-
ctat. de Colloquio Ratisb. memb. 2. cap. 1. part. 2. p. 123. imprimis
D. Christianus Matthiæ Colleg. 1. Antiphot. Decad. 1. Exercit. 2.
§. 69. 70.

TH. XVI.

Ad secundam Classem referimus illa loca, quæ voluntatem
hominis ita à Deo averfam describunt, ut absque peculiari Dei gra-
tiâ,

riâ, ejusdemque efficaci operatione & præventione non re-genitus planè per proprias ac sibi residuas arbitrii vires Deo reconciliari & expiari nequeat. Sic Psalm. 53. vers. 3. *Non est requirens Deum, omnes deflexerunt.* Rom. 3. vers. 11. *Non est qui requirat Deum.* Sic cor hominis dicitur fatuum, cecum, vanum, & ignorantia tenebris immersum, Rom. 1. vers. 22. Ephes. 4. vers. 17. 18. Joh. 1. vers. 5. Dicitur durum & lapideum Ezech. 11. vers. 19. cap. 36. vers. 26. *non intelligens, non requirens Deum, & ad opera bona non segne modò, sed prorsus inutile,* Psalm. 14. vers. 2. 3. Rom. 3. vers. 11. 12. *Faciens voluntates carnis cogitationum, unde naturâ filii iræ,* Ephes. 2. vers. 3. Hinc ipse Salvator Joh. 15. v. 5. ait: *Sine me nihil potestis facere;* Id quod non privativè, sed negativè, non conjunctivè sed exclusivè intelligendum, secundùm verissimum D. Augustini effatum in h. l. citante B. Meisnero in Anthrop. S. decad. 3. disp. 22. p. 85. *Non dicit (Christus) sine me parùm potestis facere, nec dicit, sine me potestis arduè aliquid facere, vel difficulter sine me potestis, sed nihil sine me potestis: Nec dicit, sine me non potestis perficere, sed nihil potestis facere sine me.*

TH. XVII.

Tertiam Classem ingrediuntur illa dicta omnia, quæ omnes omninò homines non Renatos ita peccati arguunt reos ac servos, ut illis nulla prorsus *δύναμις* ac libertas reliqua, absque gratiæ auxiliis à pessimo hoc servitio, adeo quæ à morte peccati, ejusdemque dominio semet liberandi, immutandi, renovandi, convertendi ac vivificandi relicta sit, sed quòd univèrsum primæ nostræ conversionis ac regenerationis opus uni ac soli Deo, ejusdemque gratiosæ operationi ac præventioni unicè tribuendum, Joh. 8. v. 24. Rom. 6. v. 16. 19. 2. Pet. 2. v. 19. Ephes. 2. v. 3. Matth. 7. v. 18. Luc. 6. v. 43. 44. Gen. 6. v. 3. c. 8. v. 12. Ephes. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13. Joh. 5. v. 25. Ezech. 36. v. 26. cap. 11. v. 19. Jerem. 32. v. 39. Confer B. Chemn. Exam. Conc. Trid. p. 119. b. 120. a. Tom. 2. Gissenl. disp. 15. p. 604. & seqq. M. Meisnerum in disp. inaug. Wittebergæ habitâ p. 11. & seqq. D. Meisn. in Anthrop. S. decad. 3. disp. 22. p. 86. 87. & seqq. D. Chemn. in LL. part. 1. p. 190. & seqq. ac imprimis Dn. D. Gerh. in dispp. Itag. p. 971. ubi longâ serie urget Textuum Biblicorum singularem *ἐπιφάνειαν*, in quibus omnis prorsus facultas ac potestas irrogenitis denegatur spirituale aliquod opus vel inchoandi, vel perficiendi: Hinc non audiendi illi, qui nonnulla Sac. Script. dicta, in quibus

quibus lib. Arbitrium hominis vocatur *saucium, vulneratum, infirmum, claudicans &c.* (quæ phraseologia orthodoxis etiã Partibus haud infrequens) nostræ opponunt sententiæ; Quamvis enim illa viribus nostris aliquid residui ac exigui conferant, absit tamen ab homine pio & Christiano, ut illud vile & exile ultra res externas & rationi subjectas quoad externam pædagogiam extendat. Bene hoc monente B. Mentzero in Exeg. Aug. Conf. p. m. 762.

TH. XVIII.

Sed quid ad hoc Pontificii? Regerunt pro more suo multa, ne temerè scabiosam illam Helenam, quam turba Scholasticorum, eorundemque genuina progenies, impuri scil. Jesuitæ turpiter deperire, imò in pietâ ac fucatâ illâ virium arbitrii facie superstiosè, seu mavis impiè, semel cœperant adorare, à furiosis suis procis penitùs derelictam aut repudiatâ orbis crederet Christianus; In primo autem agmine locant dicta, parabolas & exempla Script. Sæc. cumulant indiscretè SS. Patrum elogia, apprimè illorum, qui ante natum ex infausto illo hæreseos Pelago, Pelagio Britone gloriosius aliquantò de libertate virium humanarum loquuti sunt: Imò, ne quid prorsus desperatæ suæ causæ decedat, plurima sibi fingunt similia dissimilia, utpote, *de homine egroto, dormiente, claudo, languido, in foveam prolapso, compedibus ligato, ferreas itidem soleas gestante, & infinita alia, quæ apud Eckium, Andradium, Bellarminum, Costerum, Virvesium, aliosque hujus Sectæ asseclas, occurrunt, modò ut obtineant, Hominem non renatum per naturales & superstites post lapsum arbitrii vires posse, si non perficere, ad minimum tamen inchoare opus spirituale & Theologicè bonum:*

TH. XIX.

Dicta autem quod attinet, quæ adversum nos producit impia AntiChristi Schola, primaria sunt seqq. Rom. 7. v. 18. Proverb. 16. v. 1. ad Galat. 3. v. 4. Luc. 1. v. 13. &c. Hisce annectunt exemplum Cornelii Centurionis. Act. 10. v. 2. Zachæi. Luc. 19. v. 2. Acolasti, Luc. 15. v. 17. Denique subjungunt decantatissimam illam Parabolam de homine in itinere Hierichuntico in latrones incidente, ab iisdemque miserè vulneratò, & seminece relictò, Luc. 10. Quam perversè, tortuosè, incongruè & *circumstans* autem ipsa *sermo* Jesu monstra-

monstrabit *αὐτῆς*. Quantum verò ad effata Patrum, quæ causæ Pontificiæ patrocinari primâ fronte videntur, probè sciendum, quinque priorum seculorum Patres ante Pelagium securiùs & arrogantius, quippe cum omne abesset certamen, de viribus arbitrii, ejusdemque libertate etiam ad objecta spiritualia se se extendente, fuisse loquutos, proindeque non ulterius audiendi sunt, quàm unica credendorum norma, utpote Script. S. ejusdemque infallibilis authoritas in sublimi hoc negotio piè ac orthodoxè permittit, juxta illud Esa. 8. v. 20. *Ad legem & testimonium &c.*

TH. XX.

Inter sequiorum ævorum Patres præ omnibus audiendus D. Augustinus, Hipponensis Episcopus, qui, cum ipsi Pelagio esset coævus, ipsius Hieronymi, jam tum Senecionis, judicio inter tot excellentia Ecclesiæ lumina dignissimus judicatus, qui ingruenti & undequaq; jam fere triumphanti Pelagiana sectæ obicem poneret, id quod etiam per Dei Ter. Opt. Max. gratiam ad eò dextrè, tantoq; cum zelo egit, ut brevissimo temporis intervallo fidelissimi hujus Patris Ministerio, postliminio quasi orthodoxa veritas, à pestiferâ Pelagii vafricie oppugnata quidè aliquantisper, non penitus tamen expugnata, augustissimum in verâ Dei Ecclesiâ ageret triumphum. Hunc autem sanctissimum cœlestis veritatis Promachum effrons Papicolarû cohors, in primis eorundem Antesignanus Andradius, & post eum Rob. Bellarminus ad suas i. e. Pelagii partes ex eo pertrahi posse autumant, quòd secundùm illorum hypothesin, talem in voluntate hominis agnoscat facultatem, quæ liberè & ex se se assentiatur verbo Dei prædicato, postquam præveniens gratia naturæ viciatæ vires moverit, & excitaverit. Verùm B. Chemn. contrâ plurimis ac invictissimis ex ipso Augustino excerptis testimoniis solidè den. ôstrat, Sanctissimum hunc Antistitem nequaquã voluntati, sibi relictæ, efficaciam aut facultatem aliquã tribuere, ad incipiendas vel perficiendas actiones spirituales, quam naturaliter ex primâ nativitate habeat, sed illâ solummodò, quam ex dono & supernaturali operatione Spiritus renovationis ac ceperit. Cõfer ejus Exam. Conc. Trid. p. 122. b. 123. a.

TH. XXI.

Similibus quoque modò memoratis, quibus imperitæ plebeculæ

C

eulæ fucum facere, Pelagiique *πελαγολογίας* callidè occultare alla-
borant, unicum saltem, & quidem quod ex ipsâ Sp. S. scholâ haufi-
mus, opponimus, desumptum nempe ab homine mortuo, Rom. 3.
v. 12. Coloss. 1. v. 21. Ephes. 2. v. 5. cap. 4. v. 18. Coloss. 2. v. 13. Luc. 15.
v. 24. 32. Hoc itaque admoto ariete spontè collabuntur prædictæ
similitudines, Pelagii vafritiem omni ex parte redolentes. Firma
enim stat consequentia: Homo est mortuus in peccatis. E. Nihil
conferre potest ad sui regenerationem. Quemadmodum enim
homo suo defunctus fato & vitæ exors, omni prorsus exutus & de-
stitutus est potentiâ & facultate per proprias & sibi superstites vires
semet resuscitandi & vivificandi: Sic etiam, homo non regenitus,
morte peccati i. e. spiritali defunctus, neutiquam potest resurgere
per naturæ peccaminosæ, sibi que absque peculiari & supernaturali
gratiâ relictæ vires, seu, quod idem est, per arbitrii sui vires vel in-
choare, vel quodammodo perficere opus spiritaliter bonum.

TH. XXII.

Simile hoc ex ipsâ Spiritus S. Bibliothecâ desumptum acriter
urit Papistas Semi Pelagianos, cujus teli cuspidem ut frustrentur &
declinent operosè congerunt varia discrimina inter corpus mor-
tuum & hominem irregenitum: Quæ quidem eò pertinent, ut
evincant, hominem non renatum non esse planè mortuum in pec-
catis, sed habere adhuc aliquas reliquias vitæ spiritalis, quæ, cum
per gratiam prævenientem fuerint motæ & excitatæ, postmodum
Spiritu S. cooperari possint. Sed quis non videt, hominibus hisce
omnem conscientiam occalluisse, dum videlicet in interpretandis
Script. S. tam desultoriè lasciviunt, idque totum agunt, ut doceant
D. Paulum non satis appositè esse loquutum. Discrimina verò po-
tiora sunt hæc: Deum scil. in mortui resuscitatione animam de no-
vo infundere, quæ in regeneratione tantùm immutatur; Resusci-
tationem fieri in instanti, regenerationem per gradus; In cadave-
re nullas esse reliquias vitæ, at in homine irregenito esse adhuc reli-
quias vitæ spiritalis, languidas licet, gratiæque prævenientis ma-
ximè indigas; Deum non alloqui cadaver, sed contrà eum allo-
qui homines mortuos in peccatis, proponens iis verbum vitæ;
Mortuum non posse resistere suæ resuscitationi, irregenitum posse.

TH. XXIII.

Sed quis quæso unquam ex orthodoxis inficiatus est, hoc simile

non per omnia quadrare? Nec dubium est, quin multò plura adhuc discrimina inveniri queant. Sic v.g. ultrò fatemur etiam, cadaveri nullum profus inesse intellectum, cujus motum sequatur; At homini irrogenito inesse aliquem intellectum, sed pravum, qui ut plurimum Deo vocanti reluctatur. Sufficit itaque nobis, quòd hoc simile apprimè quadret in eo, quod caput est rei, & de quo inter nos controvertitur. Nempe in hoc, quod, ut cadaver est inhabile ad motum, nec se ipsum potest disponere nec preparare ad resurrectionem, ita anima hominis irrogeniti, & in peccatis mortui caret in spiritualibus, & in iis quæ ad salutem pertinet, omni sensu & motu; nec se ipsa potest ad regenerationem parare & disponere, donec spiritus regenerationis, cordi illi lapsus, cieat novos motus, & inchoet novæ vitæ primordia. Taceo autem lubens erronea & falsa, quibus scatent discrimina illa, in Thesi præced. ab Adversariis prolata, quæ probè expensa & singularim confutata leges apud Petrum Molinæum in Anat. Arminian. p. 277. §. 15. & seqq.

TH. XXIV.

Nec obstat parabola de homine ab Assassinis illis ad internecionem usq; fauciato, qui dicitur relictus *ἡμιθανής* Luc. 10. v. 30. quam crambem ad nauseam usque reponunt Papistæ. Præterquam enim, quod Theologia parabolica non argumentativa sit, ipso hoc passim agnoscente Bellarmino, nequaquam Parabolæ ultra scopum proponentis extendendæ veniunt, id quod hoc videlicet in loco planè non observant Doctores Pontificii, sicut solidè evincunt Gissenses T. 2. disp. 15. p. 633. Hunnius Tom. 1. Operum Art. de Lib. Arbit. p. 495. D. Gerh. T. 2. LL. de Lib. Arb. § 89. Huttenus in Form. Conc. Artic. 2. p. 260. 261. Concludimus itaque, hominis irrogeniti, & in puris naturalibus constituti voluntatem circa virtutes & opera spiritualia, & quæ propria sunt fidelium, (qualia sunt vera Dei cognitio & serius amor, fides & respicientia, actionesque sanctæ, ab his virtutibus promanantes,) planè non esse liberam, nullum hinc hominis arbitrium liberum, nullam propensionem, nullam denique dispositionem reperiri: *Per difficile enim foret, inquit Petrus Molinæus in sua Anatome Arminiani mi pag. 256. in Paulo grassante adhuc in Ecclesiam Christi, & in latrone, in crucem acto ob latrocinia, quem Christus in ipso agone convertit, invenire dispositiones aliquas aut prepara-*

siones ad resipiscentiam. Huc etiam collineat Dn. D. Hafenrefferus, qui in C. T. p. m. 85. succinctè & ἀπελάσιν inquit: *Velle, natura est; malè, corruptionis, bene autem gratia divina.*

TH. XXV.

Porro occasione modò memoratorum non malè h. l. quæritur: *Quid ergò de bonis operibus seu virtutibus infidelium & gentilium dicendum, an videlicet nec illa Deo seu legi suæ cōvenienti placeant?* Negant orthodoxi juxta tenorem Artic. 18. Aug. Conf. & ejusdem Apolog. Pro Affirmativâ contrâ acerrimè decertant Papæi, quibus arma ad sociat sua Cinglius, Sectæ deformatæ caput primicerium, uti & ejusdem Apologetæ. Quænam autem propriè sit mens & sententia Scholæ Pontificiæ, illud satis superque elucet ex definitione Generalis, si Diis placet, Concilii Tridenti habiti, in quo Patres illi maleferiati brutto suo fulmine in illos detonant, qui piè & verè affirmant, *omnia irrogenitorum opera esse peccata.* E contra magnificè deprædicant virtutes & opera gentilium apprimè Philosophorum, quibus, prout illi præposterè credunt:

E meliore luto finxit præcordia Titan.

His itaq; incredulis, disertè veram justitiam, fidem salvificam, vitam denique æternam adscribebant.

TH. XXVI.

Operosè post Dd. Scholasticos præcæteris hoc egit Andradius, dicti Conciliabuli ejusdemque secretorum optimè conscius, dum nimirum relegatâ & proscriptâ ad Garamantas usque gratiâ div. Thrasonico Cothurno extollit Philosophos Paganos, eorundemque virtutes, ut illis, quantumvis à fœdere Dei omnino fuerint extorres, omniq; gratiâ, ipsos gratos faciente, prorsus destituti, nihilominus tamen ex lege & lumine naturæ fidem justificantem, veramque Dei cognitionem adsignet, imò ipsam Justitiam, eandemque comitantem salutem æternam polliceatur. Sed omnia hæc temerè, præsumptosè, & ἀπεγαφῆς. Id quod nequaquam ineptum hunc gentilium Hyperaspisten latere potuit. Proinde

Projicit ampullas & sesquipedalia verba, quò sic grandiloquentia compenset, quicquid impio huic argumento denegat orthodoxia. B. certè Chemnitius citra dissimulationem fatetur, se ex innumero aliàs Papæorum grege neminem

alte-

alterum, qui magis blasphemè & injuri osè in Deum & sacras literas loquatur, vel audivisse vel legisse, quàm hunc impurissimi oris Spermologum. Vide ejusdem Exam. Conc. Trid. p. 108. b.

TH. XXVII.

Huic post Andræo calculum adjece runt suum Rob. Bellarminus & Martinus Becanus, qui unà cum Sectâ illâ teterrimâ hæreditario quasi jure vanissimum hunc errorem in se se derivârunt; Ille lib. 5. de Gratia & Lib. Arb. cap. 4. & seqq. Hic autem part. 2. Theol. Schol. Tract. 1. c. 2. q. 10. Uterque grandem nostratibus dicam scribit, quod omnes & singulas gentilium actiones, & virtutum exercitia nuncupemus peccata, adeoque Deo displicentia. Causa autem subest non levis, quapropter etiamnum adeò furiosè Thema hoc propugnent Papistæ; Didicerunt nempe jam antè ex communibus suis Præceptoribus, Dd. scil. Scholasticis, effectum illud, & nudius tertius in eorundem cerebro pgnatum, Meritum de Congruo, hoc fulcimento summo operè indigere, quo sine statim annihilabitur & in nihilum redigetur,

quod fuit ante nihil.

Sicut bene observat prælaudatus Chemnit. in LL. part. 1. p. 189. a. & in Exam. Conc. Trid. p. 112. b.

TH. XXVIII.

Tenendum autem primò: Dictas gentilium virtutes non *ἀπλῶς* *ent* absolutè esse, dicique peccata, sed saltem *ex Accidente*, quatenus nimirum non proficiuntur ex fide salvificâ, sine quâ nemo Deo placere potest. Hebr. 11. v. 6. Hinc Apostolus omne id appellat peccatum, quod verâ fide caret, Rom. 14. v. 23. (Nota, in Indice Expurgatorio jubetur hæc Apostoli Regula in aliis authoribus deleri: Vide Ind. Expurgat. operâ Junii editum p. 28.) Constat autem, genuinum bonorum Deoque placentium operum normam esse legem Dei. Hæc verò omne illud à bonorum operum censu excludit, cui minimum etiam imperfectionis adhæret, quodque cum hæc amissi non omninò congruit; Cæterum, cum hæc dignatio non nisi ex imputatione Justitiæ & perfectionis Christi, quam sola fides apprehendit, & homini applicat, proveniat, necessariò sequitur, opus absque fide peractum neque exactè cum lege convenire, neque Deo sic placere posse. Confer Gissens. Tom. 2. disp. 15. p. 615.

C 3

TH. XXIX.

TH. XXIX.

Dicimus secundò, ejusmodi opera esse verè peccata *non tam objective, quàm subjective*, in quantum videlicet infideles non sunt Deo reconciliati, imò extra Christum & extra portæria Ecclesiæ constituti; Etenim h.l. non tam quæritur, *quid faciat homo?* Sed *quis faciat?* Si itaque Persona Deo exota, utpote, quæ ipsi per fidem nondum reconciliata est, ergò & ejusdem opera, quantum vis externè aliquo respiciant nitore. Sic enim ipse Christus, Matth. 7. v. 18. *Arbor mala non potest facere fructus bonos*, & D. Paulus ad Tit. 1. v. 15. *Immundis & infidelibus nihil est mundum*. Tertiò, nuncupamus illa mala Deo quæ ingrata, *non in sensu legali, sed Evangelico*, quateus scil. illa descendunt ab hominibus irrogenitis, & sub vetustate carnis adhuc dum degentibus; Cùm contrà novitas Spiritus, ex Evangelio unicè ad Renatos profecta, qualitatem operum Deo placentem commendat; Hunc in finem etiam Apostolus ad Gal. 5. vers. 22. opera bona dicit *fructus Spiritus*, & vers. 19. peccata contrà, *opera carnis*.

TH. XXX.

Denique quartò ponderantur opera in strictissimo Dei iudicio *non tam nominaliter, quàm potius finaliter*, secundum tritissimam Theologorum Regulam: *Opera non ex nominibus, sed adverbis iudicanda*, i.e. Non quærendum, *an bona*, sed potius *an bene operetur homo?* *Omne enim opus, si bonum Deo quæ acceptum haberi debet, in gloriam Dei fieri oportet*, 1. Corinth. 10. v. 31. Coloss. 3. v. 17. Quæ neglectâ, rationem & definitionem boni operis amittit; *Vnde mercedem etiam apud Deum nõ habet*. Matth. 6. vers. 1. ipso Θεω πω iudice. Jam si singula gentilium, etiam saniorum opera, quæ in Historia prophanâ summam, maximè apud prophanos, merentur laudem, secundum præscriptam hanc Regulam excusseris, vix ulla, me iudice, suppetent, quæ non vel speratum aliquod exinde commodum aut lucrum, vel immoderata honoris cupiditas, ambitiove, vel etiam alia, nobis equidem non semper externè cognita causa vel ratio, quæ innumeras secum fert imperfectiones, suaferit, quinimò invitis etiam sæpenuerò extorserit. His igitur Regulis probè observatis nullo non negotio solvi possunt ea, quæ Pontificii Dd. catervatim non absque suavi verborum lenocinio regerere consueverunt, partim ex scripturâ S, partim etiam ex scriptis SS. Patrum, de quibus tamen sciendum, non omnes

omnes

omnes, etiam ex verustioribus, orthodoxè de hâc materiâ sensisse & scripsisse, id quod luculenter satis exemplis v.g. Clementis, Epiphaniï, & Justinï demonstrat B. Chemn. in Exam. Conc. Trident. p. 108. b.

TH. XXXI.

Absurdissimi itaque sunt Colonienſes Theologi, qui, teste Johan. Wolffio in Memorab. T. 2. p. 136. ediderunt librû, quem inscripserunt *Salus Aristotelis*, in quo Philolophum hunc gentilem divis annumerârunt, id quod dubio procul ex Lamberto de Monte didicerunt, qui eò processit dementiæ, ut hujus paradoxï pbabilitatem ex ipsâ Script. S. demonstrare præsumat. Nec minùs ridendi in hoc, quod rursus in alio libro, de ejusdem morte edito, palàm asseveret: *Philosophum hunc sic fuisse præcurſorem Christi in naturalibus, quem admodum Iohannes Baptista fuerit in gratuitis*. Idem ibid. Nam, ut in præsentiarum taceam horrenda illa, & æternis luenda suppliciis scelera, quorum à nonnullis apertè rei aguntur unà cû hoc Philosopho, etiam Socrates, Plato, Solon, Demosthenes, Euripides, Sophocles aliîq; ex primipilis, videatur Wolff. Tom. cit. p. 142. 143. Quæq; nō nisi iustitiâ Christi, per fidem regenitis & verè pœnitentibus tantùm imputatâ, unicè expiari possunt, à quâ gratiâ tamen hi gentiles cum sociis suis fuêrunt alienissimi, Ephes. 4. vers. 17. Sufficiat nobis hâc vice ad confutandos hosce Luciani discipulos unicum & verissimum illud D. Pauli effatum Rom. 14. v. ult. *illud scilicet omne esse peccatum, quod non ex verâ fide ortum trahit*. Quam invictissimam Apostoli Regulam dente prorsus Theonino idcirco arrodere perfida Papæ mancipia, ex nefario & doloso eorundem attentato, quo scilicet illam ex Authoribus erasam & expunctam voluêre, abundè constare poterit.

TH. XXXII.

Manet itaque assertio nostra firma & inconcussa, quando scilicet docemus in Ecclesiis nostris, omnia & singula infidelium opera esse eo, ut dictum, modo, peccata in conspectu Dei, proindeq; ipsi ingrata & exosa, id quod etiam agnoscunt cum D. Augustino multi Patres orthodoxi, v.g. Origenes, Ambrosius, Prosper, Anselmus. Loca videri poterunt apud Beatum Chemn. in Exam. Conc. Trid. p. 109. usque ad p. 112. Gensenses his accensent etiam D. Hieronymum, Tom. 2. p. 616. Hisce adjungi poterit Joh. Grarianus Presbyter, acutissimus Cornelii Jansenii Episcopi quondam Yprensis Apo-

Apo-

Apologeta, in suâ querelâ & appellatione ad futurum Concilium institutâ nomine B. Aurel. Augustini circa Bullam Alexandri Papæ 7. hodie sedentis pag. 29. 30; Editum est hoc scriptum An. Christi 1657. Idem nobiscum etiam agnoscit Georgius Cassander, teste Osiandro in suo Papa non Papa p. m. 32. 33. Agmen hîc claudat Sententiarum Magister, Petrus Lombardus, *quando omnem infidelium vitam, quantumvis foris speciosam & virtutibus ornatissimam, disertè peccatum vocat*, propter quam orthodoxam *παρρησίαν*, absque omni tamen causâ, vapulat ab Ambrosio Spiera, referente B. Chemn. in LL. part. 1. p. 206.

TH. XXXIII.

Superest adhuc ardua & dudum in Theologorum Scholis agitata quæstio, de *σωεργεία* Liberi Arbitrii in hominis irrogeniti conversione. Nam, quod aliàs Scholastici extra, imò contra Scripturas S. disputare solent: *An videlicet homo nō renatus omni prorsus destitutus gratiâ Spiritus S. per liberam sibiq; reliquas arbitrii vires implere præcepta Dei valeat quoad substantiam actus, aut ad minimum vitare earundem beneficio omnia & singula peccata, cū externâ pedagogiâ pugnantiâ &c?* Illa, inquam, & sexcenta alia hic adnecti possent, si nostri instituti foret, curiosè, an dicam otiosè, & supervacaneè cumulare quæstiones. Semotis itaque & ad suos relegatis Magistros illis, videndum porro nobis erit, quid secundùm *ἀναλογία* fidei & juxta *ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων*, 2. Tim. 1. v. 13. in hac controversia adstruendum? Formandus autem præprimis genuinus quæstionis status, id quod facimus hoc modo: Homo in statu secundo, qui dicitur peccati, ante regenerationem consideratus nullas omninò habet vires ad hoc sufficientes, ut se se per eas vel præparet ad recipiendam gratiam Spiritus S. vel ut in conversione primâ, suppositâ gratiâ præveniente cooperetur quodammodo Spiritui S. vel etiam ut verbo Dei prædicato assentiatur, sed habet se merè passivè.

TH. XXXIV.

Quadrimestris hæc est propositio: Primò enim dicitur: *Hominem non regenitum nullas prorsus habere vires ad hoc sufficientes & efficaces, ut se metipsum disponat, aut aliquo modo præparet ad recipiendam gratiam Spiritus S.* Secundò adseritur: *Non Renatum non posse cooperari Spiritui S.* Tertiò affirmatur: *Hominem*

minem

minem irrogenitum non posse per residuas arbitrii seu voluntatis vires absque auxiliis gratiæ assentiri verbo Dei prædicato: Additur quartò Epilogi loco; Hominem ergò in primâ sui conversione sese merè passivè habere. Quantum verò ad primum, plurima certè adduci possent oracula divina, nisi nobis unicum illud Paulinum, ceu omni exceptione majus, ex asse satisfaceret. Extat autem 2. Corinth. 3. v. 5. *Non quòd idonei simus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, sed quòd idonei sumus, id ex Deo est.* In hoc dicto τὸ ἰκανοὶ est maximè Emphaticum, contra quod frivole à Papistis excipitur, ac si h. l. non aptitudinem aut habilitatem, sed sufficientiam solummodò notet; Vocabulum enim ἰκανότης & sæpissimè de idoneitate usurpatur, nec hîc aliter accipi potest, veluti solidissimè probatur in Tom. 2. Gissenl. disp. 15. p. 609. Similia extant in Concilio Arausicano circa tempora Leonis I. celebrato. Verba sic sonant: *Si quis per naturæ suæ vigorem bonum aliquod ad salutem pertinens, cogitare aut eligere, seu salutari prædicationi consentire hominem posse confirmat absq; illuminatione & inspiratione Spiritus S. hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Christi in Evangelio, dicentis: Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli: Numquid idonei sumus cogitare aliquid ex nobis &c.* Idem cum orthodoxis, in omnibus cæteroquin non semper orthodoxus, sentit Georgius Cassander, prout videre est in Oliandri Papa non Papa pag. 34.

TH. XXXVI.

Pontificii, plus nimium viribus humanis etiam ante πάλιν Ἰουδαίων tribuentes, tuentur contrà, quòd, licet humana mens post lapsum Deum, Deiq; voluntatem non satis intelligat, & humana voluntas divinæ legi plenâ obedientiâ præstare non possit, tamen hoc in homine reliquum sit adhuc, ut aliquo modo se ad gratiam Dei præparet, applicet, assentiatur, languidè quamvis. Hinc omnibus Ecclesiis elumbe suum Anathema denunciant in Concilio Trident. quæ negant, hominem non regenitum se se disponere posse ad recipiendam gratiam. Imò, ut omne intùs in Theandrum nostrum conceptum odium, etiam Vatiniano majus, commonstrent, ipse Pontifex ejusdemque parasiti Sorbonistæ, cumque his Roffensis ipsum ex eo Manichæismi inculant, quod asseveret, hominem non Renatum non posse facere bona opera, quibus semetipsum disponat ac præparet ad recipiendam gratiam. Cùm tamen D. Augustin. ante tot jam secula eandem Thesin ubique defendat, attestante B. Chemnit. in LL. part. 1.

D

p. 202.

p. 202. a. Eundem cum Papæis errorem erravit Victorinus Strigelius, quæ omnia fusè examinantur à Dn. D. Cundisio, Præceptore quondam meo, cùm adhuc Jenæ degerem, maximè fideli, *ὄν ἐν αἰσίοις*, in doctissimis suis ad Hutter. notis, p. 639. & seqq.

TH. XXXVII.

Cæterùm huic erroneo & absurdo dogmati opponimus præter illud ex 2. Cor. 3. v. 5. in Thes. 31. adductum, etiam adhuc aliud, quod Apostolus ad Philip. 2. v. 13. habet, ubi inquit: *Deus est is, qui in vobis operatur, ut velitis & efficiatis pro suâ benevolentia.* Ex hoc firmiter inferitur: Si Deus unicè in nobis operatur ac efficit illud velle internum & spirituale, (de velle enim externo, quod restantummodò politicas & pædagogicæ subjectas includit, nulla inter partes est disputatio, vide prælaudatum D. Cundisium d. l. p. 656. 657. & Apolog. August. Conf. Artic. 18.) id quod omninò locus hic Paulinus evincit, nulla in homine erit voluntatis facultas ac libertas semet præparandi vel disponendi ad suscipiendam gratiam Sp. S. Atqui verum prius. E. Consequentiam hanc itidem firmat illud Salvatoris Johan. 6. v. 44. Ubi Christus inquit: *Neminem ad se venire posse (fide scilicet salvificâ) nisi quem Pater traxerit. Qui tractus (ἐλθῶν) arguit naturalem hominis non renati in rebus cœlestibus & spiritualibus voluntatem & repugnantiâ, quod & D. Augustinus observavit lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. Christus, ajens, non dicit, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem, sed dicit, traxerit: Quis autem trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Item de Corrept. & Gratia. cap. 14. Deus trahit homines suis ipsorum voluntatibus; Sed quas ipse operatus est.*

TH. XXXVIII.

Secunda porrò nostræ Assertionis pars exprimit, quid tandem de *Συμμεγεία* lib. Arbitrii in primâ hominis non regeniti conversione orthodoxè sentiendum? Concluditque, non Renatum ne què quidem per residuas sibi vires ad primam sui Conversionem conferre, adeoq; positâ etiam gratiâ præveniente in eâdem nihil prorsus Spiritui S. cooperari. Hanc nostram sententiam confirmant sexcenta sanctarum literarum testimonia, quæ ad certas quasdam Classes à Theologis referri solent, veluti videre est apud D. Giffenium.

nium.

nium in Papism. suo p. 851. usque ad p. 854. ubi 13. numerantur. Nos brevissimè ita inferimus: *Aut sola Spiritus S. gratia in irrogenitorum conversione operatur, aut etiam cooperatur ejusmodi hominis voluntas.* Non hæc, quia dicitur *Deo inimica*, Rom. 8. v. 7. *Deo rebellis*, cap. 7. v. 23. *à vitâ Dei alienata*, Rom. 3. v. 12. Eph. 4. v. 18. *Rerū spiritualiū minimè capax*, 1. Cor. 2. v. 14. *In peccatis serva, captiva, imò emortua, prorsus, & instar lapidis indurata*, Rom. 2. v. 5. Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26. 2. Pet. 2. v. 19. 2. Tim. 2. v. 26. & c. Ergo sola Sp. S. gratia in primâ non Renati conversione operatur. Rursus; Solus Deus dat hominibus irrogenitis *intellectum, ut discant ejus verbum*, Pl. 119. v. 34. *dat pœnitentiam, ut cognoscant veritatem*, 2. Tim. 2. v. 25. *aperit oculos, ut cõvertantur*, Act. 26. v. 18. *aperit cor, ut attendat prædicationi*, Act. 16. v. 14. *Dat, ut credamus*, Philip. 1. v. 29. *dat ortum bonæ voluntatis*, Philip. 2. v. 13. *dat idoneitatem cogitandi bonum*, 2. Cor. 3. v. 5. *inclinat cor ad testimonia Dei*, Plal. 119. v. 36. *circumcidit*, Deut. 30. v. 6. *Durum & refractarium conterit, ut homini peccata displicere incipiant*, Ezech. 6. v. 89. *aufert lapideum, ut det carneum, & inchoet obedientiã secundum præcepta*, Ezech. 36. v. 26. *imò novum creat*, Plal. 51. v. 12. Denique solus Deus hominem *aversum convertit*, 1. Pet. 2. v. 25. Act. 26. v. 18. Jerem. 31. v. 18. 19. *mortuum vivificat*, Ephes. 2. v. 5. Plal. 119. v. 25. 37. *& in peccatis naturam regenerat*, Joh. 3. v. 5. & c. Confer Gissenses Tom. 2. p. 627. 628.

TH. XXXIX.

Ex hisce itaque præmissis solidissimè infertur, omnia illa, quæ ad primam hominis conversionem, fidem itidem & salutem pertinent, uni & soli Deo in solidum esse adscribenda, adeoque rectè & piè nostrum in illis arbitrium universamque virium humanarum efficaciam negari. Suffragatur nobis ex anterioribus Ecclesiæ Patribus imprimis D. Augustinus, quando non solùm primum in irrogenitorum conversione motum appellat, *non cooperantem, sed simpliciter operantem gratiam*, bene hoc notante B. nostro Chemnit. in LL. part. 1. p. 199. a. Verùm etiam cùm idem acutissimus Præsul in lib. de dogmat. Ecclesiæ ait: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem si nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

TH. XL.

Dissentiunt hîc iterum à Catholicis orthodoxis A catholici Pontificii, & licet eorundem loquutiones immane quantum inter sese de hoc dogmate discrepent, indicante D. Gissenio in suo Pa-

pism. p. 848. 849. in hoc tamen Cadmæos hos fratres & versipelles has Simlonis vulpeculas sibi invicem concordēs & conspirantes reperies, quod non omninò nihil viribus humanis, præcedantâ divinâ gratiâ, in non renatorum conversione primâ concedant. Sed nigra hic est lolliginis succus, & pestilentissima doctrina: Licet enim ingeminent ad ravim usque vocem *gratia*, Semipelagianæ hæ veri Pelagii simiæ, decipulam tamen in eâ tendunt, more veterum Pelagianorum. Ex purpuratis Ecclesiæ Papæ Patribus Rob. Bellarminus lib. 5. cap. 18. de Gratia & L. A. multa cumulat Scripturæ testimonia, quæ in sex Classes distribuit, (singulis responderet D. Gissenius in suo Papismo à pag. 854. usque ad pag. 858.) quibus ἐπεροδοξίαν suorum non tam probare, quàm potius palliare argutè contendit. Et certè, nunquam ejusdem simulatio est adeò cauta & circumspecta, quin subinde pelagianæ auriculæ promineant; Et quantumcunque veritatis sermonem imitetur, magnum *div. gratia* momentum tribuendo, larva tamen ipsi incanto sæpè excidit, ejusdemque ulcera leviter duntaxat pressa, ilicò fœtidum hæreleos Pelagianæ pus ejaculabuntur, id quod Deo Ter Opt. Max. assistente in ipsa Collatione monstrabitur. Dictis porrò hisce varias, partimq; sibilo dignas, subjungunt similitudines, quæ maximâ ex parte superius jam sunt indigitatæ. Conferatur B. Mentzer. Exeg. Aug. Conf. pag. 770. 771. Tom. 2. Gissenf. p. 591. & seqq. Et imprimis D. Gerh. in Dispp. Hagg. p. 974. 975. 978. 979. ubi 18. Regulas tradit, contra adversariorum argumenta, similia & rationes observatu dignissimas, quibus facili negotio cuncta enodari, & sufficientissimè solvi poterunt.

TH. XLI.

Hisce & aliis similibus, quæ ipsâ ratione Magistrâ ab ipsis innumera fingi & refingi possunt, nos superius indigitatum simile, quod h. l. etiam reperere nos minimè tædebit, opponimus, quod ipse Spiritus S. desumit *ab homine mortuo*, qui adeò disruptis animæ rationalis & corporis organici nexibus de statu suo vitali dejectus, ut nullis vel propriis vel alienis viribus, quæ in hominem nudum cadunt, resuscitari ac in integrum restitui queat. Non alia est ratio hominis Apostatæ, & in peccatum prolapsi, aut nondum regeniti; hunc labes illa primæva, reliquarum actualium fœcundissima mater,

ter,

ter, adeò foedè deturpavit, ut non solùm justitiâ & rectitudine illâ, Protoplastis nostris concreatâ, quæ, ceu ipsa imago SS. Triados, in ipsis elegantissimè coruscabat, per & propter illud in spiritualibus & gratuitis penitùs privatus sit, verùm etiam omnis insimul vis ac facultas superiorum & lora tenentium in homine facultatum ita elanguit & emortua prorsus, ut nullæ omninò reliquæ sint vires, vitam recuperandi spiritualem, nisi id unicè velit, operetur & perficiat gratia Dei movens, promovens & perficiens, quæ mediante verbo & Sacramentis omnibus ultrò offertur & datur, modò ipse homo non malitiosè & refractariè resistat, & Spiritui S. sic pervicaciter renitendo obicem ponat. Confer D. Gissenii Papism. p. 837. ubi doctè enodantur, quæ more suo desultoriè & Sophisticè oggannit Cardinalis Bellarm.

TH. XLII.

Huic simili adjungi etiam poterit aliud B. nostro Luthero haud infrequens, *de trunco scil. & lapide*, cui non Renatus in sui conversione primâ partim assimilatur, partim etiam postponitur, nimirum, quando gratiolæ operationi Spiritus S. malitiosè & præfractè resistit; Quæ collatio tamen circumspectè & cum grano salis accipienda ac instituenda, velut sedulò inculcant Theologi cordatiores. B. Chemnit. in LL. part. 1. p. 206. b. 207. a. Gissen. in Papism. p. 835. 837. 838. D. Cundis. in Not. ad Hutt. p. 650. 651. D. Gesnerus disput. 4. in Form. Concord. p. 103. D. Mylius in A. Conf. fol. 250. a.

TH. XLIII.

Sed quid tertio statuendum erit de *Assensu*, quem homo verbo Dei *predicato vel lecto præbet*? Annon dicendum, eundem per naturales arbitrii vires posse exhiberi & elici? Nequaquam; Quamvis enim homini naturaliter possibilitas & aptitudo assentiendi verbo Dei, & sic recipiendi fidem, insit, neutiquam tamen ei inest, naturâ posse assentiri & credere. Hæc enim longissimè distant; Illud denotat susceptibilitatem & possibilitatem assentiendi & recipiendi fidem. Hoc verò significat vim activam ac facultatem assentiendi & credendi, quæ sanè homini non à naturâ, sed à gratiâ inest. Pelagianum itaque & Arminianum est, dicere: *Posse credere & assentiri, natura est; Credere autem actu, gratiæ.* Veriora certè, & saniora sunt illa, quæ acutissimus divinæ veritatis Vindex & Defensor strenuus Martinus Chemnitius, facem sibi in hoc præferente D.

Aurél. Augustino, adducit part. 1. LL. p. 197. a. ubi invictissimis Script. S. testimoniis probat, hominem in sui conversione primâ non posse per liberas & naturales arbitrii sui vires verbo Dei prædicato assentiri, ex eo, quod *ad acquiescere seu consentire* pertineat ad fidem salvificam, tanquam pars essentialis & constituens eandem, quæ certè absque ullâ controversiâ non est facultas naturalis, sed peculiare Dei donum, attestante Gentium Doctore ad Philip. 1. v. 29. Ephes. 2. v. 8. Qui itaque pertendunt, assensum illum salutarem, qui exhibetur in irrogeniti conversione verbo Dei prædicato, antevertere actum fidei salvificæ, sive, quod idem est, cor hominis ante conversionem consentire, eo ipso absque & absurde statuunt necesse est, hominis voluntatem jam convertam esse, antequam convertatur; Rectè sic inferente D. Gesnero in Disp. 4. in F. C. pag. 203. Confer D. Giffenii Papism. p. 846.

TH. XLIV.

Nequaquam autem homini nondum regenito hoc ipso denegamus illos actus, quos voluntas naturaliter elicit, & ad externam aliâs prædagogiam referri consueverunt, utpote *desiderare, audire, legere, meditari verbum Dei*, quod utique voluntati humanæ, etiam per prævenientem gratiam nõdum liberatæ, cum B. nostro Chemnitio ex part. 1. LL. pag. 196. a. concedimus. Contra a. pernegamus cum Dn. D. Gerh. in dispp. II. agg. p. 975, congruam fieri posse illationem à notitiâ literali ad spiritualem, ab assensu historico ad salvificum, à suavitate denique auditus externi ad interiorum divinæ dulcedinis gustum. Quinimò, licet verbû, quod ex suâ parte adhibetur ad hominis nõrenati regenerationem, sit commodum & salutiferum illud vehiculum & instrumentum, cui à parte nostrâ tanquam correlatum respondet auscultatio & meditatio, tamen tota nostræ cõversionis gloria cum Apostolo unicè Spiritui S. transcribenda erit, secundùm illud: *Neque qui plantat, (concionator) neq; qui currit, (Auditor) est quicquam, soli autè Deo debetur gloria, qui dat incrementum.* 1. Cor. 3. v. 7. Luc. 17. v. 10. Rom. 9. v. 16.

TH. XLV.

Non leviter ergò hallucinantur illi, qui tuentur, assensum illû, quo non solùm generaliter, sed etiâ specialissimè cum applicatione salutari & individuali pro veris ac indubitatis agnosco ac recipio omnia & singula illa, quæcunq; nobis Sp. S. in verbo revelato ad salutem

lutem

lurem scitu credituq; necessaria ppinat, posse per humanas arbitrii vires sine speciali & gratiosâ Textancti hujus Flaminis operatione pducii, prout suaviter somniât Scholastici, cumq; illis aliquâdo ipse Hipponêsis Præsul, (qui tamê erroneæ illi sententiæ postmodû nuntiam misit, eandemq; præviâ palinodiâ ad alias damnatas, divinisq; literis è Diametrò advertâtes doctrinas, relegavit, teste prælaudato D. Chemnit. part. I. LL. p. 196. Sed dicis, hominis nondû renati vires, ad hoc tamê esse abunde sufficientes, ut resistât Sp. S. ipsiq; in faciem contradicant; Quidni ergò & illæ sufficerent ad præbendum assensum promissionibus divinis, in Script. S. nobis salutariter oblatis? Nos respondemus, fallere hanc consequentiam. Nulla enim potest fieri illatio à vi & facultate resistendi, ad vim & facultatem sese convertendi, prout pluribus evincit Dn. D. Gerh. in Dispp. Magg. p. 974.

TH. XLVI.

Nec novo hîc nobis videtur opus Alexandro M. ad solvendum nodum illum, non Gordium, sed Scholasticum, quem de causis conversionem non renatorum conficientibus nectunt Synergistæ, adserendo, in nostrâ regeneratione, sicut etiam aliâs in quibusvis bonis actionibus, tres concurrere causas, nimirum *Spiritum S. verbum, & voluntatem hominis*. Non diffitemur equidem, ipsum B. Chemnit. part. I. p. 176. a. in LL. & rursus p. 201. affirmare, unâ cum Sp. S. & verbo Dei requiri etiam voluntatem hominis non repugnantem, sed assentientem in sui conversione primâ, tanquam causam; Verùm exinde Synergistæ nihil lucrantur. Primò enim talem requirit assensum, non quem vires humanæ, quæ ad hoc prorsus emortuæ, eliciunt, sed quem in nobis operatur Sp. S. Secundò talem duntaxat admittit voluntatem, quæ non ampliùs rebellis ac renitens, sed jam per gratiam Spir. S. liberata & vivificata est. Talem a. contrâ voluntatem eliminat ex illo cōcursu, cujus vires juxta Pelagium ejusq; complices adjuvent & cooperentur. Et in hoc sensu B. noster Mentzerus in Exeg. A. C. p. 766. hanc loquendi formulam quoque recipit.

TH. XLVII.

Aliâs enim dicendum est, unâ cum Dn. D. Gesnero in Disp. 4. in Form. C. p. 106. & 102. 103. ut & cum D. Cundisio in not. ad Hutt. p. 669. 671. aliisque magni nominis Theologis, tutiores nos esse
à frau-

à fraudulentia & argutiâ Synergistarum, si voluntatem hominis ir-
 regeniti, penitus exterminemus è consortio illarum causarum, quæ
 conversionem ejus primam propriè & unicè absque ullo humano
 adjutorio operantur: Voluntas n. in primâ hominis conversione est
subjectum convertendum, non quidem ἀλογον aut ἀψυχον, sed in spiritua-
 libus ἀεργον & ἀρησον, adeo quæ non accensenda tanquã causa locia
 vel Spiritui S. qui est efficiens principalis, vel etiã verbo Dei, quod est in-
 strumentalis nostræ regenerationis causa, ad quas voluntas humana,
 nondum liberata aut renata, non alium, quàm passivũ habet respe-
 ctum, quia, ut jam jam dicitur, sese purè passivè in primâ nõ renati
 conversione habet. TH. XLVIII.

Ex hisce nunc quartò spontè fluit: Hominem non Renatum etiã
 suppositâ gratiã præveniente neq; ἐνεργητικῶς, neq; σωεργητικῶς, sed
 purè putè παθητικῶς se se in primâ sui conversione habere, idq; quin-
 tuplici argumêto evincit B. Gerh. in dispp. Isagg. p. 975. 976. Rectis-
 simè etiam simulq; brevissimè B. Mentzerus totius rei momentum
 pandit, inquit in suâ Exegesi Aug. Conf. p. 766. *Voluntas in primâ sui
 conversione se se merè passivè habet, quia ipsa à Deo convertitur, non autè ipsa se
 convertit.* B. certè Lutherus creberrimè hoc loquendi modo usus est,
 què imprimis Jesuita Franc. Costerus in suo Enchirid. cap. 5. de Lib.
 Arb. sarcasticè, an dicam Sycophanticè? exagitat: Sed optimè vindi-
 catur à Dn. D. Gissenio in Papism. p. 835. & evidentissimè contra de-
 monstratur, Thaumasiandro nostro hanc Phrasælogiã seculi illius
 vafritiem, errores Pelagianorum ac Semi-Pelagianorum dudũ antè
 in plurimis damnatos Synodis ex orco reducentem, extorsisse. Ac-
 cedebãt insuper nova ac insana illa Erasmi de *modiculo suo* somnia, q̃
 in homine irregenito, per prævenientem Dei gratiã excitato, in pri-
 mâ sui conversione, *ceu Spiritui S. cooperativum*, Ecclesiæ omni conatu
 obtrudere enitebatur. Tali itaq; Hercule, tamq; acriter feriente cla-
 vâ ad subigendam ac enecandã illam in primordiis adhuc oberran-
 tem hydram, Lernæã illâ longè pejorem, maximè fuit opus. Idem
 p. 836. Quomodò a. intelligendus sit Theander noster, quãdo ejusmodi loquedi
 modum frequentat, perdoctè explicat Dn. D. Mylius in Aug. Conf. fol. 249. b.
 Confer B. Chemn. in Exam. C. T. p. 126. a. & in LL. part. 1. p. 199. a. D. Cundis.
 Notas ad Hutt. p. 671 672. M. Meisnerum in Disp. inaug. de Lib. Arb. p. 11. & seqq.
 Nos h. l. actum nolumus agere, sed potiùs hîc, ut figamus pedem, termino: quæ
 tandem huic Dissertationi statuamus necesse esse, judicamus: Interea Deo
 Ter Opt, Max. sit laus & sempiterna gloria Amen! Amen!

F I N I S.

50

DISPUTATIO INAUGURALIS,
De
**PROCESSIONE
SPIRITVS SANCTI
A PATRE ET FILIO,**

*QUAM
DIVINA GRATIA ASSISTENTE,
EX CONSENSU ET DECRETO
MAXIME VENERABILIS COLLEGGII
THEOLOGICI,*


**IN CELEBERRIMA UNIVERSI-
TATE GIESSENA,
SUB PRAESIDIO**

Summe Reverendi & Excellentissimi VIRI
DN. PETRI HABERKORNII,
*SS. Theol. D. Ejusdemq; Profess. Prim. Superintendentis &
Pastoris GiesSENSIS celeberrimi, de Universa Ecclesia Orthodoxa
meritissimi, Patroni & Promotoris Studiorum suorum filiali
observantiâ devenerandi*

**PRO LICENTIA
SUMMVM IN THEOLOGIA GRADVM
CONSEQUENDI,
SOLENNI EXCELLENTISSIMORUM DOMINORUM
PROFESSORUM EXAMINI**

submittit
**M. JOH. CHRISTOPHORVS MEELFÜHRERVS,
ONOLDO FRANCUS.**

Addiẽm Martij, Anno M. DC. LXXII.


GIESSÆ, Typis FRIDERICI KARGERI.

Col. 315, A. 174, Seite 5